



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. III. Duo corollaria notatu digna,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

differentiam, aliosque gradus metaphysicos, possit etiam dari in Deo compositio rationis: Sed illa repugnat divinæ simplicitati, ut infra ostendemus: Ergo in attributis divinis non potest dari distinctio rationis, per modum excludentis & exclusi. Sequela Majoris probatur: Sicut compositio realis est unio extremorum, quæ realiter distinguuntur, ita compositio rationis, est unio plurimum rationum, seu conceptuum, quæ se invicem per rationem excludunt: Ergo si divina essentia, ejusque attributa, fundent plures conceptus objectivos se mutuò excludentes, præbentur etiam sufficiens fundamentum ad compositionem rationis.

Confirmatur: Conceptus objectivi qui se mutuò excludunt, inter se comparantur, per modum actûs & potentia, perfectivi & perfectibilis; ut constat in genere & differentia, aliisque gradibus metaphysicis: Sed in Deo non possunt dari duo conceptus objectivi, qui ad invicem comparantur per modum actûs & potentia, perfectivi & perfectibilis; repugnat enim actui puro & infinito, ex se fundare aliquam potentialitatem in nostris conceptibus, sed tantum offerre summam eminentiam, quæ actibus nostris imperfectis adæquari non possit: Ergo illi repugnat fundare conceptus objectivos se mutuò excludentes.

§. III.

Duo corollaria notatu digna.

37. **E**X dictis inferes primò, quòd si divina attributa considerentur secundum rationem implicitam entis increati & infiniti, quam transcendentaliter includunt, omnia sunt æqualia; cum illa ratio entis increati sit unica, simplicissima, & indivisibilis, & in omnibus attributis eodem modo includatur. Si verò concipiantur secundum rationem explicitam, & per analogiam ad similes perfectiones, quæ reperiuntur in creaturis, sub hac ratione sunt inæqualia secundum quid, quatenus unum majorem exprimit perfectionem, quam alterum: v. g. intellectus majorem exprimit perfectionem, quam voluntas; & sapientia, quam scientia, vel ars; & ea quæ spectant ad lineam intellectualem, omnium perfectissimam, quam ea quæ pertinent ad voluntatem, & quæ se habent tanquam affectiones ad lineam intellectualem consequentes.

38. Inferes secundò: Attributa divina prædicari non solum identicè, sed etiam formaliter de essentia, & essentiam de attributis, & unum attributum de alio, tam in concreto, quam in abstracto. Prædicatio enim est vera & formalis, quando prædicatum essentialiter includitur in subiecto: Ergo si essentia divina essentialiter includitur in attributis, & attributa in essentia, & unum attributum in alio, poterunt formaliter de se invicem prædicari, tam in concreto, quam in abstracto.

Confirmatur: Cum Deus habeat ratione suæ infinitatis, quod habet ens ratione suæ transcendentia, eodem modo philosophandum est de attributis divinis, sicut de proprietatibus entis: Sed proprietates entis de se mutuò prædicantur formaliter, tam in abstracto, quam in concreto: illæ enim propositiones sunt veræ: *Ens est verum, verum est bonum. Et ista, Ens est veritas, veritas est bonitas*. Ergo similiter istæ erunt veræ, & formales: *Deus est sapiens, vel sapientia; Deitas est iustitia: iustitia est misericordia.* De Tom. I.

A quo videri potest D. Bernardus serm. 80. in Cantica, & libro 3. de consideratione.

Dices: Si unum attributum possit de alio formaliter prædicari, poterit etiam dici, quòd unum attributum est aliud, v. g. quòd attributum iustitiæ, est attributum misericordiæ. Poterit etiam propria operatio unius, attribui alteri; & affirmari quòd voluntas intelligat, quòd intellectus amet, quòd misericordia puniat, quòd iustitia parcat &c. Sed hæc omnia sunt falsa & absurda: Ergo &c.

Respondeo negando sequelam Majoris: quando enim dico, *attributum misericordiæ*, tunc exprimo misericordiam formalissimè & reduplicativè, secundum rationem explicitam, & quatenus virtualiter à iustitia distinguitur: sub qua ratione, non est idem formalissimè cum iustitia; nec potest de illa prædicari, vel ejus operatio ei tribui: quod ut fiat evidentius, & plura sophismata quæ in hac materia fieri solent, faciliùs dissolvantur.

Adverte primò: Attributum quodlibet, posse concipi duobus modis in Deo. Primò prout appellat, & reduplicat proprium & explicitum conceptum, quem formaliter per modum veluti differentia dicit, & exprimit: quod est considerare ipsum, secundum quod actu exercet distinctionem virtuales ab altero attributo, eique veluti opponitur. Secundò potest considerari, non solum præcisè secundum quod reduplicat proprium conceptum, quem per modum differentia exprimit; sed absolutè secundum ea omnia quæ implicite etiam continet.

Adverte secundò: Distinctionem vel relationem rationis, duobus modis importari posse in aliquo prædicato: scilicet per modum puræ conditionis, vel per modum consignificati: v. g. in hac propositione, *homo est animal*, distinctio, vel relatio rationis inter gradum genericum & specificum, involvitur solum implicite, & per modum conditionis ad prædicationem requisita: quando verò dicitur, *animal est genus*, secunda intentio genericitatis, & distinctio rationis à gradu specifico, importatur explicitè, & per modum consignificati. His positis, dico quod licet unum attributum possit formaliter prædicari de alio, secundum rationem implicitam entis increati quam importat; non tamen secundum rationem explicitam, quam formaliter, & per modum differentia exprimit: quia in tali ratione explicita importatur formaliter, & per modum consignificati, distinctio virtualis unius attributi ab alio. Unde licet hæc propositiones: *misericordia in Deo est iustitia: bonitas est sapientia*, sint veræ, & formales; istæ tamen, *attributum misericordiæ est attributum iustitiæ: vel intellectus amat: voluntas intelligit*, sunt falsæ; quia in his formaliter exprimitur, & exercetur distinctio virtualis unius attributi ab alio, ac importatur in illis, non solum per modum conditionis ad prædicationem requisita, sed etiam per modum prædicati, vel consignificati: sicut in istis, *animal est genus: homo est species*.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò cum Nominalibus contra primam conclusionem. Attributa non magis distinguuntur ab essentia, quam relationes: Sed relationes ab essentia, ne ratione quidem distine-

L

39.

40.

41.

42.